Olszyński Basilii: Quaestio theologica de vita Dei.

Olszyński Basilii
Quaestio theologica de vita Dei.





In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE VITA DEI,

Ex Prima parte Summæ Theologicæ qu. 18.
D. THOMÆ Aquinatis, Doctoris Angelici
DESUMPTA:



QVAM

M. BASILIVS OLSZYNSKI,

S. Theologiæ in Alma Vniuersitate Cracouiensi Professor, Collega Maior, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracouiam Canonicus & Concionator, Cancellarius Siradiensis, Curatus Nasiechouicensis, Contubernij Sisiniani Prouisor;

Publicè ad Disputandum,

In Celeberrima D. Iagellonis Aula,

PROPONET.

Anno Humanæ Salutis, 1691.
Die 29. Mensis Maj. Horâ 12.

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

V. Vita, per quam creaturæ principium motus ex se ipsis habentes, in suo Esse propriè constitutæ, & secundùm Esse intelligibile, quod habent in Deo, Vitâq; Dei viuunt: Deo immortali perfectissima & eminentissima tribuenda sit nec ne?

CONCLUSIO I.

Creaturis, principium motus ex seipsis habentibus Vita inest.

COROLLARIA.

I. Gradus Vitæ nobilissimus & excellentissimus mouentibus se, est per intellectum.

II. Bruta animalia quamvis ipsa sibi sui motûs finem non constituant; tamen à natura constitutum & inditum habent.

III. Animalia medium gradum Vitæ obtinent.

IV. Gradus vitæ vltimus conuenit plantis, quæ non per formam apprehensam, sed solùm à natura sibi inditam mouent se.

V. Corpora inanimata, vt Elementa, Lapides, metalla, & alia, nullatenùs vitæ prærogatiuâ gaudere possunt.

CONCLUSIO II.

Vita eorum, quæ viuere dicuntur in ipsorum Esse est constituta.

COROLLARIA.

I. Vita viuentium, est ipsum principium Substantiale operationum Vitaliũ: Esse Intellectiuum principium intellectionũ, & sic de alijs.

II. Quàmuis dicatur vita quod sit alia Actiua; alia contemplatiua, hoc accipiendum est pro operationibus vitæ vnius, secundùm diuersos habitus ad eas inclinantes delectabilibus.

III. Vitæ æternæ Substantia, quoniam hic à nobis non potest perfectè cognosci, ideò per operationes cognoscendi Deum, sicuti est, nobis manifestatur.

IV. No-

IV. Nomen vitæ principaliter impositum est, ad significandam substantiam eius cui vita competit.

V. Etiam vita quandoq; ad significandam operationem seu motum, quo seipsum viuens mouet deriuatur.

CONCLUSIO III.

Omnes Creaturæ secundùm Esse intelligibile, quod habent in Deo, Vitâ Dei viuunt.

COROLLARIA.

I. Creaturæ in Deo viuere sunt dicendæ, quatenùs ab eo sunt scitæ.

II. Simpliciter veriùs & nobiliùs res habent Esse, in mente Diuina, quam in seipsis.

III. Quamuis Creaturæ moueri dicantur etiam in Deo, non tamen in ipso sunt motus, sicut sunt vita.

IV. Vitæ nostræ momenta, sub Dei nutu & regimine decurrunt.

V. Nostra Vita ad Deum, vt ad Authorem & conseruatorem referenda est.

CONCLUSIO IV.

DEO Optimo Maximo, qui solus habet immortalitatem, ipsi Vita perfectissima & eminentissima tribuenda est.

COROLLARIA.

I. Deus cum non dependeat ab aliquo, & sit actus simplicissimus, vitæ principium non habet.

II. Sicut DEVS est ipsum suum Esse, & suum intelligere: ita & suum quoq; est viuere.

III. DEVS viuere dicitur, secundùm quod mouet se intelligendo.

IV. Motus autem ille est actus perfecti, semper actu existentis.

V. Quando Vita Deo tribuitur, non est intelligendum vniuocè cum Creaturis, sed secundùm Analogicam rationem.

DEO Optimo Maximo Immortali, qui est Vita perfectissima, omnibus Creaturis dans vitam, ipse principium vitæ non habens, tamen vitæ humanæ principium & finis est; ipsi Honor & Gloria. Augustissimæ quoq; Cælorum Reginæ Virgini Beatissimæ MARIÆ, Vitæ æternæ Genitrici, absq; originali labe conceptæ, Laus sempiterna. Diuis Tutelaribus Regni Poloniæ & Academiæ Patronis, præcipuè Diuo THOMÆ Aquinati, Doctori Angelico, ac Diuo Patriarchæ Nostro IOANNI CANTIO, Archilycei huius Nostri Ocello ac Patrono, humilis in perpetuas æternitates semper Veneratio.

Vita hæc noſtra, eſt vita dubia, vita breuis, quam dolores extenuant, ardores exſiccant, eſcæ inflant, jeiunia macerant, joci diſſoluunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, diuitiæ jactitant, paupertas deiicit, juuentus extollit, ſenectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & poſt hæc omnia mors interimit, vniuerſis gaudijs finem imponit, ita cùm eſſe deſierit, nec fuiſſe putetur. S. Auguſt. in Original. ſuper verba ſequent. S. Iacobi.

Vita noſtra præſens, eſt vapor ad modicum parens, Ep. S. Iacobi Cap. 4.



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici, Perilluſtris, & Admodùm Rndi Domini,

D.M. FRANCISCI IOSEPHI PRZEWOSKI,

S. Th: Doctoris & Profeſſoris, Collegæ Majoris, Eccleſiarum Collegiatarum, SS. Omnium Crac: PRÆPOSITI, Scholaſtici Curelovienſis, ad S. FLORIANVM Canonici, Korczynen: Curati, Librorum per Diœceſim Crac: Ordinarij Cenſoris, Canonizationis Beati IOANNIS CANTII, Procuratoris, Contubernij Hieroſolymitani Proviſoris,

ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS, Generalis, & Vigilantiſſimi

RECTORIS.



